

## INDEX APPENDICIS

### Litaniæ

- Litaniæ de sanctissimo Nomine Jesu . . . . .  
Litaniæ de sacratissimo Corde Jesu . . . . .  
Litaniæ Lauretanæ B. Mariæ Virg. . . . .  
Litaniæ de S. Joseph . . . . .

### Preces diversæ

- Oratio S. Augustini edita jussu Urbani Papæ VIII  
Oratio Clementis Papæ XI . . . . .  
Piæ petitiones S. Augustini  
Oratio S. Thomæ Aqu. ad vitam sancte agendam  
Oratio proposita a Leone XIII . . . . .  
Oratio „Pietate tua“ . . . . .  
Oratio ad S. Joseph Ecclesiæ universalis Patronum  
Oratio S. Thomæ Aqu. ante studium . . . . .  
Oratio ad S. Thomam Scholarum cathol. Patronum  
Oratio S. Anselmi ante contionem . . . . .  
Oratio Sacerdotis antequam Confessiones excipiat  
Oratio Sacerdotis postquam Confessiones exceperit  
Oratio Sacerdotis ante et post ipsius Confessionem  
Oratio ad servandam vocationis gratiam . . . . .  
Oratio ad servandam castitatem . . . . .  
Oratio jaculatoria . . . . .  
Formula consecrationis Ssimo Cordi Jesu a Clero recitanda  
Oratio S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium  
Oratio ad impetrandam Africæ conversionem  
Formula precandi pro aliis . . . . .  
Oratio ad impetrandam bonam mortem . . . . .  
Quinque Puncta ante vel post Communionem utilisime  
recitanda . . . . .  
Oratio ante Sanctissimum Sacramentum . . . . .  
Formula Absolutionis generalis pro Tertiariis secularibus  
In Benedictione augustissimi Sacramenti . . . . .

## PROPRIUM OFFICIORUM

IN USUM

## DIOECESIS LINCIENSIS

A SACRORUM RITUUM CONGREGATIONE

APPROBATUM

JUXTA QUATUOR BREV. ROM. PARTES

IN QUATUOR FASCICULOS DIVISUM

PARS VERNA



LINCII

IN CANCELLARIA EPISCOPALI

1884 MDCCCXIV. PUSTET, S. SEDIS APOST. ET S. R. C. TYPOGR., RATISBONÆ

MCMXIV

PROPRIUM OFFICIORUM  
DIECESIS LINCENSIS

Approbatio

Concordat cum Originalibus.

Lincii, die 12 Junii 1914


(L. S.)

✠ Rudolphus

Imprimatur.

Ratisbonæ, die 15 Junii 1914

Dr. Scheglmann Vic. Gen.



PROPRIUM OFFICIORUM

IN USUM

DIECESIS LINCENSIS

PARS VERNA

Die 15 Martii

S. Clementis Mariæ Hofbauer Confessoris

Duplex

Oratio

**D**eus, qui beatum Clementem Mariam miro fidei robore et invictæ constantiæ virtute decorasti: ejus meritis et exemplis fac nos, quaesumus, ita fortes in fide et caritate ferventes; ut præmia consequamur æternæ. Per Dominum.

In I Nocturno Lectio-  
nes Beatus vir, de Com-  
muni Conf non Pont.

In II Nocturno

Lectio iv

**C**lemens Mariæ Hofbauer Tassoviti in Moravia natus, a prima ætate in schola christiænæ perfectionis eruditus est, magistra potissimum religiosissima matre, quæ puerulum post patris obitum ostensa Christi Domini e cruce pendentis imagine sic allocuta fertur: En filii, qui hinc in posterum tibi futurus est pater, cura ut per eam, quæ ipsi placet, viam incedas. Adolescens pistoriæ artem didicit; sed ad majora

se vocári præsentens cœpit inter laboriôsæ artis exercitium ad stûdium incûmbere litterarûm. Bis Romam pedes ad lîmina Apostolorûm peregrinatus est, bis etiã rerum cœlestium contemplationi liberius vacaturus in eremum secéssit. Verum Deo illum ad altiôra vocante intermissa litterarûm stûdia in Vindobonénsi Universitatè repêtiit, navitèrque prosecutus est; donec ex puriôre fonte sacras disciplinas hausturus, Romam tertium migravit. Ibi in sancti Alfonsi familiam singulari Dei providentiã cooperatus est, quam ipsius ôpera in dîssitas regiônes propagatum iri sanctus idem Parens divinus instinctu præsensit ac palam prænuntiavit.

**R.** Honestum fecit illum Dôminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductôribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum deduxit Dôminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et** dedit.

**Lectio v.** **A**bsoluto cum magno spiritus fervore tirocinio ac præbyter factus in septentrionales Europæ provinciã a Sede

Apostolica missus est. Erecto Varsaviæ in Polônia primo suæ Congregatiônis domicilio, et pluribus sibi adjunctis sociis, incredibile est, quam copioso ibi fructu sacerdotalia mûnera ultra vicennium expleret; nihil laboris recusans, sive ut catholicos ad bonos mores et pietatis cultum revocaret, sive ut hæreticos et Judæos ad veram fidem adduceret. Multa etiã ad religiôsam juventutis institutiônem præstitit. Orphanorum sortem miseratus erexit hospitium, ubi miserimos quosque paternã caritatè alèbat; visus subinde stipem eorum causa emendicãre, imò nec faciẽm ab increpantibus et in se conspuentibus avèrtere. Inter has autem curas semper coram Deo ambulans Deiparæ Virgini, cujus Rosarium assidue recitabat, singulariter devotus, rectus, simplex, humilis, cunctis affabilis et benignus, omnibus velut sanctitatis exemplar jugiter præluxit.

**R.** Amavit eum Dôminus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. \* Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dôminus lor-

cam fidei et ornavit eum. **Et** ad portas.

#### Lectio vi

**D**eo soli confisus, plures instituti sui domus variis in regionibus erexit. Ipse vero multas, ob temporum iniquitatem, acerbitates perpessus, et e Polônia tandem cum suis expulsus, secéssit Vindobonam, ubi duodecim postrémis vitæ annis, ad Dei gloriã strenue operari perseveravit. Prætersedulam enim Sanctimonialium virginum curam totus in eo fuit, ut prædicatiône verbi Dei, sacramenti Pœnitentiæ administratione, quam plurimas a salutè devias animas Christo lucrifaceret. Quem caritatis ignem, tum sacerdotibus, tum maxime selectæ juvenum cohorti, quorum complures suum Congregatiôni nomen dederunt, infundere adlaboravit. Illud autem indefessa sua ôpera consecutus est, ut languescentem populi fidem catholicumque spiritum non parum illa ætate imminutum corroboraret; dignus propterea, quem Pius sepulchrum virum apostolicum Vindobonensis cleri decus, Ecclesiæque còlumen appellaret. Méritis tandem plenus, et prodigiôrum aliorumque cœlestium charis-

matum mûnere illústris, septuagenarius obdormivit in Dômino, Idibus Martii, anno millesimo octingentesimo vigésimo. Eum Leo decimus tertius, miraculis clarum, Beatôrum catálogo, Pius vero decimus, novis fulgentem signis, Sanctôrum fastis accensuit.

**R.** Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: \* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolite timere, de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

Die 27 Martii

**S. Rupertii**

Episcopi et Confessoris

Duplex

Oratio

**P**ropitiare, quæsumus Dômine, nobis famulis tuis per sancti Rupertii Confessoris tui atque Pontificis mérita gloriôsa: ut ejus pia intercessiône ab omnibus protegámur advèrsis. Per Dôminum.

Et fit Com. S. Joannis  
Damasceni Conf. et Doct.

In I Nocturno Lectio-  
nes Fidélis sermo, de Com-  
muni Conf. Pont.

In II Nocturno

Lectio iv

**R**upértus e régia Fran-  
córum stirpe ortus,  
cum Wormátia episco-  
pum ágeret, fama sanc-  
titátis magnam Európæ  
partem implévit. Qua  
audíta Théodo dux Ba-  
váriæ, missis ad eum le-  
gátis instantíssime pétiit,  
ut ad erudiendam in fide  
provinciam suam veni-  
ret. Sanctus vero episco-  
pus præmissos ante se præ-  
cónes consecúsus, ducem,  
optimátes plures, magnám-  
que pópuli illius partem in  
doctrina christiána insti-  
tútos baptizávit.

℞. Invéni David ser-  
vum meum, óleo sancto  
meo unxi eum: \* Ma-  
nus enim mea auxiliábitur  
ei. V. Nihil proficiet  
inimicus in eo, et filius  
iniquitátis non nocébit  
ei. Manus.

Lectio v

**N**eque intra únicos Ba-  
váriæ fines arden-  
tíssimum, quo flagrábat,  
religiónis christiánæ stú-  
dium continuit, sed cum  
Summi Pontíficis aucto-  
ritáte atque adjutório,  
discipulórum suórum co-

mitánte catérva, secun-  
dum Danúbium flúvium  
regnum Dei prædicádo  
Nórica regna pervássi.  
Cumque illam provincia  
partem, quæ ab Anso  
usque ad Styriam exten-  
ditur, verbo Dei exco-  
luisset, Lauréacum rediit.  
Ubi postquam ægrótos  
fufus ad Deum précibus  
curasset, multósque ad  
fidem convertisset, in  
loco, qui olim Juvávia,  
nunc Salisbúrgum dicitur,  
sedem episcopálem  
fixit, exstrúcta insígni ec-  
clésia, Deo in honórem  
sancti Petri dicáta, adje-  
ctóque clericórum seu mo-  
nachórum clauastro, ut ibi  
singulis diébus divínium of-  
ficium celebráretur.

℞. Pósui adjutórium  
super poténtem, et ex-  
altávi eléctum de plebe  
mea: \* Manus enim mea  
auxiliábitur ei. V. Invéni  
David servum meum, óleo  
sancto meo unxi eum. Ma-  
nus.

Lectio vi

**U**t autem plures ha-  
béret, qui inde in  
álias étiam terras fidem  
cum virtútibus perfér-  
rent, in pátriam redux-  
viros duódecim inde ad-  
dúxit cum Erentrúde,  
vírgine Deo sacra, pro-  
pinquitáte sibi conjunc-  
ta, cui étiam in quodam  
monte monastérium ex-

strúxit, beatíssimæ Ma-  
riæ Virginis honóri con-  
secrátum. Tandem post-  
quam totam illam regi-  
onem lustráset, ecclési-  
as ædificáset, clericos or-  
dináset, miráculis cla-  
rus in ipso Paschæ die  
evolávit in cælum anno  
Christi sexcentésimo vi-  
gésimo tertio.

℞. Iste est qui ante  
Deum magnas virtútes  
operátus est, et omnis  
terra doctrina ejus re-  
pléta est: \* Ipse intercéd-  
dat pro peccátis ómnium  
populórum. V. Iste est qui  
contémpsit vitam mundi,  
et pervénit ad cælestia re-  
gna. Ipse intercédát. Gló-  
ria Patri. Ipse intercédát.

In III Nocturno Homi-  
lia in Evangel. Homo pér-  
egre proficiscens, de Com-  
muni Conf. Pont. 1 loco.

Die 28 Martii

S. Joannis a Capistrano  
Confessoris

Duplex (m. t. v.)

Ut in Breviario.

Die 27 Aprilis

Beati Petri Canisii  
Confessoris

Duplex (m. t. v.)

Oratio

**D**eus, qui ad tuendam  
cathólicam fidem be-  
átum Petrum Confes-

sórem tuum virtúte et  
doctrina roborásti: con-  
cede propítius; ut ejus  
exémplis et mónitis er-  
rántium corda ad salú-  
tem respiscant, et fidé-  
lium mentes in veritátis  
confessióne perseverent.  
Per Dóminum.

In Feria II Rogat. Lec-  
tiones I Nocturni Beátus  
vir, de Comm. Conf. non  
Pont.

In II Nocturno

Lectio iv

**P**etrus Canisius Novió-  
magi in Gældria na-  
tus est eo ipso anno,  
quo Luthérus in Germá-  
nia, apérta rebellióné, ab  
Ecclésia descivit, et Igná-  
tius de Loyóla in Hi-  
spánia, terréstri militiá  
abdicáta, ad præliándum  
prælia Dómini se contu-  
lit; Deo nimirum post-  
hac adversários, quem  
sacræ militiæ ducem es-  
set habitúrus. Colónia  
Agrippinæ, quo studi-  
orum causa concesserat,  
primus Germanórum So-  
cietáti Jesu nomen de-  
dit, et sacerdotio auctus,  
summo pópuli Colonién-  
sis clerique consénsu ad  
Geórgium pontíficem Leo-  
diénsium et ad Cárolum  
quintum augústum advér-  
sus Hermánum archiepí-  
scopum, qui palam háere-

sim prae se ferēbat, legātus est. Ob praerāram sapientiam et exploratūrum rerum usum a Cardinali Augustāno et a Pontificis Legātis magnōpere expectatus, semel atque iterum Concilio Tridentino interfuit; cuius etiam decreta ex auctoritate Pii quarti Pontificis Māximi rite per Germaniam promulganda, et in morem inducenda curāvit. A Paulo quarto ad conventum Petricovensem ire iussus, aliisque a Gregorio decimo tertio legationibus obeūndis adhibitus, alacri semper et numquam fracto a difficultatibus animo, gravissima religionis negotia tractanda suscepit, ac vel inter praesentia vitae delicta ad exitum feliciter perduxit.

**P.** Homestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductōribus tulavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam, alleluja. **V.** Justum dedit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et.

#### Lectio v

**D**ivinae gloriae amplificandae intentus, dici vix potest, quot per annos amplius quadraginta labores suscepit, aerum-

masque pertulerit. Cunctis fere Germaniae regionibus peragratis, omne hominum genus sublebrimis institutis publice et privatim excolluit, pluresque urbes atque provincias vel ab haereseos contagione defendit, vel haeresi infectas catholicae fidei restituit. In Ratisbonensi et in Augustano conventu impetū proceres ad iura Ecclesiae tuenda et mores populorum emendandos excoluit: in Vormationibus insolescentes impietatis magistros ad silentium adiecit. Collegium Germanicum, quod Romae constitutum fuerat, omni ope provēhere atque amplificare studuit; in academiis sacrarum humanarumque disciplinarum studia, miserandum in modum collapsa, instauravit, contra Centuriatores Magdeburgenses plura egregie conscripsit: et Summan doctrinae christianae, theologorum: iudicio et publico usu comprobata, aliisque adrudiorum institutionem aptissima in vulgus edidit. A sancto Ignatio Germanicae provinciae moderandae praefectus, domos et collegia multis in locis condidit, et evangelicos operarios in omnem Germaniam misit ad er-

iores stirpitus evellendos, serendamque pietatem. Quam ob rem haereticorum malleus et Germaniae apostolus appellatus, et plane dignus habitus est, qui ad tutandam in Germania religionem datus divinitus putaretur.

**P.** Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluja. **V.** Induit eum Dominus loriceam fidei, et ornavit eum. Et.

#### Lectio vi

**I**nter haec precatōne crebra et assidua rerum supernarum commentatione Deo se coniungere solitus erat: quin etiam noctes saepe intergras perfusus lacrimis et abducto a sensibus animo orationi dabat. A viro Summis Pontificibus in magno in honore habitus, adeo de se demisse sentiebat, ut se omnium minimum et diceret et haberet. Viennensem episcopatum semel, iterum ac tertio recusavit: nec nisi aegerrime adducti potuit, ut illius Ecclesiae promotionem per annum exerceret. Moderatioribus suis obsequentissimus, paratus erat ad ipsorum numerum omnia relinquere, aut aggredi, etiam cum vale-

tudinē et vitae periculo. Virginitatem, quam adolescens Deo voverat, voluntaria sui ipsius coactione perpetuo sepsit. Demum Friburgi Helvetiorum, ubi plurimum pro Dei gloria et salute animarum desiderat, migravit ad Deum, duodecimo Kalendas Januarii, anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, aetatis suae septimo supra septuagesimum. Mortuo tamquam parenti publico civitas universa concursu prope incredibili et multis lacrimis parentavit. Sepulcrum ejus prodigiorum fama duobus amplius seculis tota Germania inclamavit: e quibus quatuor ritē probatis. Pius nonus Pontifex Māximus strenuissimum catholicāe veritatis propugnatori cælitum Beatorum honores decrevit.

**P.** Iste homo perfecit omnia quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrederere in requiem meam: \* Quia te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus. **V.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolite timere, de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

Die 29 Aprilis

**In Dedicatione  
Ecclesiae Cathedralis**Duplex I classis cum  
Octava communiOmnia de Communi De-  
dicationis Ecclesiae.Oratio Deus, qui nobis  
per singulos annos.Et fit Commemoratio S.  
Petri Martyris in Laudi-  
bus tantum. Oratio in  
Breviario hac die.

Die 4 Maji

**S. Floriani Martyris, Pa-  
troni minus principalis  
Austriæ Superioris**

Duplex majus

Oratio

**P**ræsta, quæsumus om-  
nipotens Deus: ut,  
qui beati Floriani Már-  
tyris tui natalitia cõli-  
mus, intercessiõne ejus  
in tui nõminis amore ro-  
borémur. Per Dõminum.Deinde fit Commemora-  
tio S. Monicæ Viduæ.**In Feria II et IV Roga-  
tionum Lectiones I No-  
cturni Fratres: Debitõres,  
de Communi plurimorum  
Martyrum extra Tempus  
Paschale cum R. de  
Communi Martyrum Tem-  
pore Paschali.**

In II Nocturno

Lectio iv

**S**æviẽte in Christiãnos  
Diocletiani et Maximia-ni persecutiõne, cum Aqu-  
linus Nõrici Ripẽnsis præ-  
ses in Christi cultõres ad  
Laureãci castrum acerr-  
me animadverteret, et ad  
quadraginta eo nõmine  
vinctos, multisque suppli-  
ciis macerãtos in càrcerem  
conjecisset: Florianus, ip-  
dem religiõnis et militie  
societãte conjunctus, san-  
cti fidei ardore incensus,  
ac sãnguinem pro Christo  
profũdere cúpiens, Lau-  
reãcum advolat, sicque ad  
excellentiõris militie co-  
ronam gloriõso certãmbe  
contendit.**R.** Lux perpétua luce-  
bit sanctis tuis, Dõmine.  
**\* Et æternitas tẽpo-  
rum, allelúja, allelúja.**  
**V.** Lætítia sempiterna  
erit super cápita eõrum  
gãudium et exultatio-  
nem obtinébunt. Et.

Lectio v

**A**udiens ergo, Chri-  
stiãnos ad idolõrum  
sacrificia perquiri, nihil  
truculentõrum fidei ve-  
stium immanitatem ve-  
ritus, in médium se ultro  
profert, liberéque exclã-  
mat: Quem aliũm quæ-  
ritis? Ecce ego Christiã-  
nus sum: ite, nuntiate  
præsidi, me hic adesse.  
His auditis præses cum  
ad se adduci jubet, et  
diis sacrificare. Quod  
cum nulla ratiõne obti-  
nere posset, secũdo ettértio fústibus cædi im-  
perat, atque illius scã-  
pulas acutis ferris con-  
fringi. Tandem invictus  
Christi athléta váriis tor-  
mentõrum genëribus sup-  
perãtis, ob inconcussam  
fidei constãntiam ùlti-  
mam mortis lætus acci-  
pit sententiam.**R.** In servis suis, al-  
lelúja, \* Consolãbitur  
Deus, allelúja. **V.** Judi-  
cãbit Dõminus pópulum  
suum, et in servis suis.  
Consolãbitur.

Lectio vi

**L**igãto igitur ad collum  
saxo e ponte in An-  
sum flúvium dejicitur;  
non tamen sine divina  
ultióne. Nam óculi ejus  
qui, injectis violenter  
mánibus, mártirem præ-  
cipitãvit, mox crepu-  
erunt: flúvius autem má-  
rtirem Christi suscipiens,  
elevãtis undis in quod-  
dam eminentius saxum  
sacrum ejus corpus ex-  
tulit, quod miro nutu  
Dei, áquila illic advo-  
lante, protegebãtur, do-  
nec a Valeria pia ma-  
trõna, a Deo admõnita,  
inde clam ablãtum, et  
pultũre tráditum est, eo  
in loco, quo póstea cé-  
lebre monastérium erẽc-  
tum fuit, quod in hunc  
usque diem titulo et pa-  
trõcinio gaudet sancti  
Floriani.**R.** Filie Jerúsalem, ve-  
nite et videte Mártires  
cum coronis, quibus co-  
ronãvit eos Dõminus, \*  
In die solemnitãtis et læ-  
titiæ, allelúja. **V.** Quo-  
niam confortãvit seras  
portãrum tuãrum, bene-  
dixit filios tuos in te. In.  
Glória Patri. In.**In III Nocturno Homi-  
lia in Evangel. Ego sum  
vitis vera, de Communi  
Martyrum Tempore Pas-  
chali 1 loco.**

Pro S. Monica Vidua:

Lectio ix

**M**ónica, sancti Augu-  
stini piissima mater,  
uxõrum et viduarum ex-  
emplar, filium Manichæ-  
um secũta, postquam assi-  
duis oratiõibus, lacrimis  
et jejuniis, ope Ambrõ-  
sii Mediolanensis episcopi,  
eum Christo lucrificet, cum  
ipso in Africam rediens, ad  
Ostia Tiberina in febrim  
incidit, et nono die placi-  
dissime obiit. De cujus  
morte mærens filius disse-  
rens súbiit: Neque enim  
decere arbitrabãmur funus  
illud quẽstibus lacrimõsis  
gemitibusque celebrãre,  
quia illa nec misere, nec  
omnino moriebãtur: hoc  
et documẽtis morum ejus,  
et fide non ficta ratiõni-  
búsque certis tenebãmus.  
Atque inde paulãtim redu-  
cẽbam in pristinum sen-  
sum ancillam tuam, con-

(80)

(78)

(60)

versationemque ejus piam in te et sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subito destitutus sum, et libuit flere de illa et pro illa: et, si quis peccatum invenerit flevisse me matrem oculis meis mortuam, quæ me multos annos fléverat ut oculis suis viverem, non irideat: sed potius, si est grandi caritate, pro peccatis meis fleat ipse ad te Patrem omnium fratrum Christi tui. Ejus corpus in ecclesiæ sanctæ Auræ prius sepultum, postea, Martino quinto summo Pontifice, Romam translatum, in ecclesiâ sancti Augustini honorifice conditum est.

Te Deum.

Et fit Com. S. Monica Viduæ ac Octavæ Dedicat[i]onis Ecclesiæ Cathedralis.

Die 6 Maji

In Octava Dedicat[i]onis Ecclesiæ Cathedralis

Duplex majus

Lectiones II et III Nocturni ut in Communi Dedicat[i]onis Ecclesiæ.

Pro S. Joann[e] Ap. ante portam Latinam:

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri contra Jovinianum

Lectio ix Lib. 1

Joannes Ap[osto]lus, unus ex discipulis Domini,

qui minimus natus traditus fuisse inter Ap[osto]los, et quem fides Christi virginem rep[er]erat, virgo permansit: et ideo plus amatur a Domino, et recumbit super pectus Jesu; et quod Petrus, qui uxorem habuerat, interrogare non audebat, illum rogat ut interroget; et post resurrectionem, nuntiante Maria Magdalene quod Dominus resurrexisset, uterque cucurrit ad sepulchrum, sed ille prevenit; cumque essent in navi, et piscarentur in lacu Genesareth, Jesus stabat in littore, nec sciabant Ap[osto]li quem viderent: solus virgo virginem agnoscit, et dicit Petro: Dominus est. Fuit autem Joannes et Ap[osto]lus et Evangelista et Prophetas. Refert autem Tertullianus, quod Romæ missus in ferventis olei dolium purior et vegetior exiverit, quam intraverit.

Te Deum.

Ad Laudes Com. S. Joannis ante Portam Latinam.

Die 16 Maji

S. Joannis Nepomuceni Martyris

Duplex Oratio

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium novam Ecclesiam tuam martyrum

corona decorasti: da nobis ejus intercessione et exemplo, linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare. Per Dominum nostrum.

Et fit Com. præc. ac S. Ubaldi Ep. et Conf.

In Feria II et IV Rogationum Lectiones I Noct. Fratres: Debitores, de Communi plurimorum Martyrum extra Tempus Paschale cum RR. de Communi Martyrum Tempore Paschali.

In II Nocturno

Lectio iv

Joannes Nepomuci Bohemias oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, a parentibus ætate provectis non sine futuræ sanctitatis præsigio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucens, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, beatæ Virginis ope, cui natum parentes referabant acceptum, e vita periculo evasit incolumis. Egrægia indole, piaque institutione celestibus indicis obsequente, inter sanctas religiosasque exercitationes pueritiam egit; nam ecclesiam frequenter adire, et sacerdotibus ad aras operan-

tibus ministrare in deliciis habebat. Zatecii politioribus litteris ad humanitatem informatus, Prægæ vero gravioribus disciplinis excultus, philosophiæ, theologiæ, sacrorumque canonum magisterium et lauream emeruit. Sacerdotio initiatus atque a scientia sanctorum ad lucra animarum rite comparatus, ministerio verbi Dei se penitus addixit. Cum igitur in vitis extirpandis, et revocandis in viam salutis errantibus, eloquentia et pietate uberes ederet fructus, inter canonicos metropolitane ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram rege Wenceslao quarto prædicandi provinciam suscepit, eo successu, ut Joannes suavis multa rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, Dei servus, ne a divini verbi præconio avocaretur, constantissime recusavit.

R. Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, \* Et æternitas temporum, alleluya, alleluya. V. Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium et exultationem obtinebunt. Et æternitas.

## Lectio v

**R**égiis illum eleemósynis in páuperes erogándis præfèctum, Joánna regína consciéntiæ sibi moderatórem ascívit. Cum autem Wencesláus ab officio institutóque decessisset, atque in vítia præceps abriperétur, piæ autem cónjugis obstestatiónes et mórita graváte ferret, contèndere ausus est, ut in sacramentáli iudicio sacerdoti crédita regínæ arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei mínister blandíis primum, torméntis deínde et cárceris squalóre tentátus, nefáriæ regis cupiditáti fórtiter óbstítit. Furéntem tamen Wencesláii ánimum cum ab exsecrándo propósito nec humána nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióné de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre prænuntiávit. Mox Bolesláviam profèctus, ad beátæ Virgínis imáginem antíquo cultu célebrem, cæléste præsídiu ad certándum bonum certámen effúsis præcibus implorávit. In de vespere reverténtem in pervigílio Dominicæ

Ascensiónis rex e fendstra conspicátus arcénsit: cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pègeret, submersiónem intèntáret, Joánnes invicta constántia terróres minásque refutávit. Itaque regis império in Moldavam flumen Pragam intèrfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii coronam est consecútus.

**R.** In servis suis, allelúja, \* Consolábitur Deus, allelúja. **V.** Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

## Lectio vi

**S**acrílegum fácinus clam patrátum, et Mártiris glóriam insigne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flumine vehi cœpit, ardéntes faces aquis supernatántes et discurréntes apparuerunt. Quam ob rem ex aréna postridie manecorpus elátum, canónice deínde, regis iram nihil tíméntes, in metropolitánam ecclésiám solénni pompa intulérunt, et sepultúræ mandárun. Cum autem in dies invicti sacerdotis memória miraculis, et máxima fidélium, eórum præcipue qui fama periclitántur, veneratióne

crésceret, post annos decem ámplius trecéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo lámdu jacúerat, lingua ejus incorrupta et vívida repérta est: quæ sexto post anno iudícibus a Sede apostólica delegátis exhibita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscurum rubórem in purpúream commutávit. His itaque aliisque signis ritè probátis, Benedictus décimus tertius Póntifex Máximus die décima nona mensis Mártii, anno salutis millésimo septingentésimo vigésimo nono primum hunc sacramentális sigilli assertórem, arcáni fidem ságuine obsignántem, sanctorum Mártym catálogo adscripsit.

**R.** Filiæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártymes cum coronis, quibus coronávit eos Dóminus \* In die solemnítatis et lætitiæ, allelúja. **V.** Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedixit filios tuos in te. **In.** Glória Patri. **In.**

## In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 10, 26-32

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis:

Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii  
Episcopi

Comment. in Matth., can.  
10 post medium

**D**óminus diem iudicii osténdit, quæ abstrúsam voluntátis nostræ consciéntiam prodet: et ea quæ nunc occulta existimántur, luce cognitiónis públicæ detegget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectántium monet esse metuendas: quia dies iudicii nulla hæc fuisse, atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dicite in lúmine: et quod in aure auditis, prædicáte super tecta. Non légitimus Dóminum sólitum fuisse nóctibus sermocinári, et doctrinam in ténebris tradidisse: sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebræ sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

**R.** Ego sum vitis vera, et vos pálmities: \* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja. **V.** Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui manet.



## Lectio viii

**I**taque id quod a se dictum est, cum libertate fidei et confessionis vult esse loquendum. Ideo quae in tenebris dicta sunt, praedicari iussit in lumine: ut quae secreto auri commissa sunt, super tecta, id est, excelsis loquentium praeconio audiuntur. Constantem enim Dei ingerenda cognitio est, et profundum doctrinae evangelicae secretum in lumine praedicationis apostolicae revelandum: non timentes eos, quibus cum sit licentia in corpora, tamen in animam jus nullum est: sed timentes potius Deum, cui perdenda in gehenna et anima et corporis sit potestas.

**R.** Candidi facti sunt Nazaraei ejus, alleluja: splendorem Deo dederrunt, alleluja: \* Et sicut lac coagulati sunt, alleluja, alleluja. **V.** Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. Et sicut. Gloria Patri. Et sicut.

**Pro S. Ubaldo Episcopo et Confessore:**

## Lectio ix

**U**baldus, Eugubii in Umbria nobili genere natus, a primis pietate

et litteris egregie institutus, jamque adolescens, ut uxorem duceret, sapientatus, numquam tamen a proposito servandae virginitatis recessit. Sacerdos effectus, patrimonium suum pauperibus et ecclesiis distribuit, et canonicorum regularium ordinis sancti Augustini institutum suscipiens, illud in patriam transtulit. Ab Honorio secundo Summo Pontifice ecclesiae Eugubinae invitatus praeficitur, et episcopalis consecrationis munere decoratur. Factus forma gregis ex animo, de consueta vivendi ratione nihil admodum immutavit, et in omni virtutum genere enituit. Diutius infirmitatibus afflictus, Deo indesinenter gratias agebat. Cum multis annis ecclesiam sibi commissam summa cum laude gubernasset, sanctis operibus ac miraculis clarus quievit in pace. Te Deum.

**Ubi vero Festum S. Joannis celebratur sub ritu duplici I classis, legitur sequens**

## Lectio ix

**N**olite timere eos qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est peritescendus, neque ululus interimendae carnis admittendus est dolor

quando pro naturae suae atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritualem animae refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se cum Patri in caelis, qui

se hominibus in terra negasset: eum porro, qui confessus coram hominibus se fuisset, a se in caelis confitendum: qualisque nos nominis sui testes hominibus fuissimus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuarios.

Te Deum laudamus.

Et fit Com. S. Ubaldi.

## Preces

ex Indulto Sanctæ Apostolicæ Sedis dato die  
10 Februarii 1860

in Litanii inserendæ

in universa ditione Austriae

pro

### Augustissimo Imperatore

**Ante versiculum** Ut ré-  
gibus et princípibus di-  
catur:

Ut Imperatórem no-  
strum custodire dignéris,  
te rogámus audi nos.

**Item post Psalm.** Deus,  
in adjutórium meum,  
dicto versiculo Orémus  
pro Pontífice nostro N.,  
dicatur:

¶ Orémus pro Impe-  
ratóre nostro N. P. Dó-  
mine, salvum fac Impe-  
ratórem nostrum, et ex-  
audi nos in die qua in-  
vocavérimus te.

Denique absolutis pre-  
cibus, immediate post Ora-  
tionem pro Papa, adjicia-  
tur **Oratio pro Imperatore**

**Q**uæsumus, omnípo-  
tens Deus: ut fá-  
mulus tuus N. Imperá-  
tor noster, qui tua mi-  
seratióne suscepit regni  
gubernácula, virtútum  
étiam ómnium percípiat  
incrementa; quibus de-  
cénter ornátus, vitió-  
rum monstra devitáre,  
hostes superáre, et ad  
te, qui via, veritas, et  
vita es, gratiósus váleat  
pervenire.

## Index alphabeticus

	pag.
Clementis Mariæ Hofbauer Conf., dupl. 15 Mart.	3*
Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis, dupl. I cl. cum	
Octava communi. 29 Aprilis . . . . .	10*
— — Octava, dupl. maj. 6 Maji . . . . .	12*
Floriani Mart., Patroni minus principalis Au- striæ Superioris, dupl. maj. 4 Maji . . . . .	10*
Joannis a Capistrano Conf., dupl. 28 Martii . . . . .	7*
Joannis Nepomuceni Mart., dupl. 16 Maji . . . . .	12*
Petri Canisii Conf., dupl. 27 Aprilis . . . . .	7*
Ruperti Ep. et Conf., dupl. 27 Martii . . . . .	5*
Preces in Litanii inserendæ pro Augustissimo Imperatore . . . . .	18*